

W. 36.

Universitätsbibliothek Halle.

COMMENTATIO
IVRIS CIVILIS
DE
ERRORE IN TRANSACTIONIBVS
RECTE AESTIMANDO.

SCRIPSIT

MART. GVILIELM. GOETZ

IVR. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD. ALTORF.



1397

NORIMBERGAE

apud ERNEST. CHRISTOPH. GRATTENAVER.

MDCCLXXXVII.

ТРАДИЦИЯ
СОВЕРШЕНСТВОВАНИЯ
СОСУДОВАЯ
ИСКУССТВА

1000

PROOEMIVM.

Argumentum de erroris atque ignorantiae vi in transactione non quidem neglectum, tanto tamen opere haud uidetur excusat, ut penitiori plane non indigeat disquisitione.

Triplex idque diuersum latus est responsum, qui, num et quatenus error obfit transactioni? ex iuris interpretibus quaeret. Nec est, quod eam mireris opinionum diuersitatem.

Etenim cogitanti, non, nisi consensu declarato, iniiri perfici que posse transactionem, ipsa uero ratione dictitante, nihil magis esse contrarium inimicumque consensui, praeter errorem, atque idcirco, nullam errantis esse uoluntatem, nullum consensum, in Romanarum legum corpore quam saepissime praecipi *), aequum iustumque non potest non uideri, ut omnis, quae per errorem inita sit, in irritum cadat transactio **).

A 2

Repu-

*) l. 15. D. de iurisdic. l. 19. et 20. D. de aqua et aqu. pluv. arc. l. 116. §. 2. D. de reg. iur. l. 9. Cod. de iur. et facti ignor. Conf. quoque l. 57. D. de oblig. et action.

**) Vid. Lauterbach. Colleg. theor. præct. tit. de transact. §. 27. et 32. Infirmatur transactio per iustum errorem. Westenberg. princ. iur. sec. ord. Dig. tit. cod. §. 35. Boehmer. ius Digest. h. t. §. 3. Error, dolus, metus transactionem, sicuti aliam conventionem infirmant. De Ploenies in tract. de transact. iura praecipua et controversiae §. 12. Si iustus error transactioni caussam dans interuenerit, eam irritam reddit. Illustris Walchii introduct. in controvers. iur. civil. (edit. IIIiae)

Reputanti e contrario, eam esse transactionis naturam, ut in ambiguis tantum caussis suam exserat uirtutem, eosque, qui de re dubia atque obscura paciscantur, omnis erroris expertes uix esse posse, illorum forte magis arridebit sententia, qui putant, propter errorem nullam unquam debere rescindi transactionem *). Qui enim de re tenebris obuoluta transigit, errorem uel ignorantiam studio evitare nolle, propterea que, si quid detrimenti capit, id iure meritoque ferre uidetur.

Sunt autem et hic Herciscundi, qui contendunt, errorem modo nocere transactioni, modo non nocere. Quae sententia, siue ipsam transactionis indolem, siue legum auctoritatem respicias, ad ueritatem proprius accedere uidetur. Nam secundum iuris Romani praecepta, ad abolendas transactiones errorem modo sufficere, modo non sufficere, quis est, qui ignorat?

Quum uero nec ii, qui huic fauent sententiae, uno eodem modo definiant, qualis quantusue error ad rescindendam transactionem

Sect. III. Cap. III. membr. 2. §. 8. Error transactioni nocet ita, ut ad eam rescindendam sufficiat. Qui tamen celeberr. vir in diff. de transact. prop. timor. lltis interpositis (Ien. 1766.) §. 14. not. i. aliam declarauerat mentem, aiens: Litteris nullo modo eorum sententiam probare possumus, qui u. c. cum Lauterbachio, ob errorem transactionem rescindendam esse, omni discrimine remoto, putant; Ludouici tamen opinioni errore a caussis impugnandi transactionem proflus excludendum esse, suffragari non possumus.

*) Quam opinionem ex Pauli fragmento in leg. 65. §. 1. Dig. de condit. indeb. in primis elicitalm propagarunt I. Fr. Ludouici in doctr. Pandect. Lib. II. tit. 15. §. 7. et Mich. Godofr. Wernher in lectiss. Commentat. P. I. L. II. tit. 15. §. 1. Qui posterior, Transactionum, ait, essentialis pars est res dubia, inde consequens est, ut, quoniam transactio de dubio negotio, quomodoconque hoc si habeat, quo tandem controversiae finis imponatur, initur, ea ob errorem, siquidem in omni dubio negotio uel uterque uel unus errabit, rescindi nequeat. Idem §. 2. ob solum calculi errorem recte impugnari transactionem docet,

actionem sit uel idoneus uel non idoneus, nec id ipsae leges, in quibus quasdam tantum species in hanc illamue partem decisas uiderimus, in uniuersum praecipient; non inutile erit, quaerere: qua ratione aestimandus sit error in transactionibus? Proinde hanc quaestione persoluendam sumere constituimus. Ad duo in primis capita omnis haec res redibit.

Primum igitur disquiremus: utrum norma constitui possit certa uel in hanc uel in istam partem, quod nimirum transactioni uel noceat uel non noceat error, an potius uel ideo nulla ponat regula, quoniam tot fere species ab ea discedunt, quot sub eam cadunt.

Deinde est explorandum: num possit inueniri, quod Philosophi vocant, principium uniuersale, quo, quando et quatenus error transactionem uitiet, iudicetur atque definiatur.

Opus esse tali et regula et principio, omnes facile concedent, qui, ut iuris disciplina scientiis iure annumeretur, optant atque contendunt, praetereaque perpendunt, nisi inuentum sit tale principium, plures, quae de errore in transactionibus obuenire queunt, controversias recte decidi non posse, et nisi talem constitutas regulam, iudicem haud raro non posse non haesitare, si de eo certetur, quisnam litigantium argumentis ostendere debeat, eiusdem generis commissum esse errorum, quo inutilis fiat transactione.

Quae cum sic se habeant, vix perspici potest, cur iurisperitorum plurimi, qui hancce de erroris uel ignorantiae ui in transactionibus materiem sive breuiter attigerint, sive diligentius traetauerint, de tali regula atque principio constituendis ne cogitarint quidem, omnem potius rem iam consecutam sibi persuadentes, si modo diuersas istas species, in quibus transactioni aut nihil noceat,



ceat, aut uehementer obfit error, industrie indicarent, istasque ab his recte discernerent.

Alii quidem, ast paucissimi, Iureconsulti in arcem huius doctrinae penetrare caussasque perscrutari minime neglexerunt, quibus legumlatores moti praeceperint, ut error transactionem infirmare modo possit, modo non possit.

Attamen, cum uaria sint atque diuersa inter se, neque omni difficultate videantur exenta, quae ab illustribus uiris, Gundlingio, Hellfeldio, Zollero aliisque in medium uidemus prolata, hanc rem denuo uersare animo, ac in primis operam dare decreuimus, ut tale inuestigemus principium, quale tum indoli ac naturae transactionis, ut pacti de re dubia initi, tum Romanorum legibus consentaneum, itemque ad omnes de errore in transactionibus dirimendas aptum sit controuersias.

Vt res ordine procedat, primum utriusque generis species, in quibus nimirum, secundum Romanorum placita, transactioni uel noceat uel non noceat error, enumerabimus, simul ostensuri, quae nam earum ad regulam, quaeue ad exceptionem pertinere videantur; deinde in caussas tam diuersi eiusdem rei, erroris scilicet, effectus inquiramus, ita quidem, ut cum nostram proferamus opinionem, tum aliorum principia referamus, nec non, quibus ista firmari possit argumentis, et haec premi videantur difficultatibus, adiiciamus, in utroque modestiae cancellos custodituri breuitatisque rationem habituri.

§. I.

DEFINITIO TRANSACTIONIS, REI DUBIAE
ATQUE ERRORIS.

Ad ipsam rem priusquam accedamus, de uestibis hic praeципue usurpandis, quale nobis sit iudicium, breuiter explicemus.

Transactio, ex mente nostra, est dubiorum iurium vel dubiarum obligationum, conuentione non gratuita facta, determinatio.

Quum in circumscribenda hac notione ab aliis parum recedamus, paucis eam sufficiat illustrasse. Quod primum ad id attinet, in quo uestatur transactio, in scholis obiectum vocant, substitutimus uulgari atque ex legibus *) desumptae *rei dubiae*, iura et obligationes, de quibus dubitatio sit oborta. Non enim tam de rebus ipsis, quam de iuribus obligationibus circa eas dubii haerent atque inter se dissentunt, qui transigere quam litis euentum expectare malunt. Praeterea facile patet, non de quibusuis dubiis quaestionibus, sed de iis tantum, quae ad iura vel obligationes spectant, iniri posse ac solere transactionem. Quod Vlpianus quoque sensisse uidetur, cum in notissimo fragmento, iamiam excitato, generaliori formulae: *de re dubia statim subiiceret; et lite incerta neque finita; sive generatim dicta quodam coarctaret modo.*

Deinde transactionem appellare dubitauimus *decisionem*, quamquam in exponendo hocce pacto, uestibum istud non a Romano-rum eloquentissimo **) solum, sed et ab iuris nostri auctoribus, hac quidem ex cauſa, quod transactione non minus, quam iudicis sententia decretoria lites finiantur, ideoque illa rei iudicatae iure suo

*) uid. l. i. Dig. de transact.

**) in orat. pro Q. Rose. Com. cap. 12, in aet. in Verrem II. L. II. cap. 32, et in orat. pro Flacco cap. 36.

suo possit comparari, saepius usurpatum uidemus *). Etenim propriè si rem enunciare uelimus, omnino rectius dici uidetur, lites transactionibus aut finiri aut praecaueri, quam decidi. Quem enim fugit, iniri posse transactionem de iis quoque iuribus et obligationibus, quae quidem in iudicium deductae haud sunt, quarum tamen causa lis forsitan timetur **)?

Et quum etiam iis, quae cuiusdam futuri ac incerti euentus cauſſa, e. g. in fideicommissario, legatario ususfructus, ineuntur conuentionibus, nomen ac robur transactionis impositum esse uideamus ***); iuculenter patet, ea de re fieri quoque transactionem posse, de qua neque mota sit lis, neque metuatur. Lite vero et contiouersia deficiente, decisioni locus non esse uidetur; si modo, quod in definitionibus rerum effingendis solenne est, uerborum proprietati studere uelimus.

Vt taceamus, decisionem in iniuitum quoque pronuntiari; transactionem uero, nisi consensu intercedente, fieri nullo posse modo.

Quae omnia nos adduxerunt, ut minime dubitaremus, generaliori talique uti voce, qua, transactio ab iudicis sententia distinguetur. Neque grauem huius rei cauſſa metuimus reprehensionem, cum in ipsis legibus quaestiones, de quibus transactum, consensu terminatas ****) dici reperiamus.

Ex quo simul eluet, quidnam sub iuribus et obligationibus dubiis intelligamus. Nimirum non id tantum ius, quod uel ex gra-

ui

*) I. 7. 19. et 24. Cod. de transact. I. 44. Dig. de paſt. I. 60. de procurat. I. 3. §. 1.
ad leg. Falcid.

**) I. 2. Cod. de transact.

***) I. 23. §. 8. D. de transact. I. 11. Cod. eod. I. 1. Cod. de paſt.

****) I. 13. Cod. de transact.

ui uel ex leui causa incertum est, et de quo uel iam litigatur, uel lis metuitur, sed id iam habemus dubium, quod unus sibi deposit, alter autem negat. Praeterea tunc quoque rem dubiam assimus, si ob uitae humanae fragilitatem uel ex quaunque ratione incertum sit, quidnam, quale et quantum alicui competit*)?

Circa errorem monendum, nos quidem errantem, scilicet eum, qui rei cuiusdam imaginem isti non conuenientem sibi fingit **), ab eo, qui rem quandam plane nescit, omnino discernere. Ait in transactione putamus, erroris et ignorantiae non diuersam, sed eandem esse aestimationem, eosdemque effectus. Nihil addimus de variis erroris divisionibus, cum haec notissimae sint atque ad disquisitionem nostram parum facere videantur.

§. II.

SPECIES, IN QVIBVS ERROR TRANSACTIONI NIHIL NOCEAT.

Legibus quidem in uniuersum lanicatum non est, quemadmodum in transactione aestimandus sit error. Neque id quidem diserte constitutum uidemus, ut in hac, istaue specie errore haud infirmetur transactio. Paucas tamen species legibus ita decisas uidemus, ut exinde pateat, liti ex aequo et bono compositae non penitus aduersari errorem, sed potius transactionem esse seruandam, etiamsi uel uterque uel unus transigentium errore lapsus sit. Huc pertinere uidentur

I.) Scaeulæ responsum in leg. 78. §. 16. Dig. ad SCtum Trebell.

Heres

*) Vinnii Tract. de transact. Cp. IV, §. 3.

**) uel qui aliud pro alio putat c. 6. cauf. 12. quaest. 2.

Heres eius, qui post mortem suam rogatus erat, *uniuersam hereditatem* restituere, minimam quantitatem, quam solam in bonis fuisse dicebat, his, quibus fideicommissum debebatur, restituit: postea repertis instrumentis, apparuit quadruplo amplius in hereditate fuisse. Quae situm est, an in reliquum fideicommissi nomine conueniri possit? Respondit, secundum ea, quae proponerentur, *si non transactum esset*, posse.

In hac enim specie dubium non est, heredes fideicommissarios ueram hereditatis sibi restituendae summam tunc temporis, quum fiduciario cum herede paciscerentur, ignorasse, eamque postea repertorum instrumentorum auxilio demum cognouisse. Attamen haec conuentio, etiamsi ex errore orta, auctore Scacuola, retractari nequit, *si transactum*.

Verba legis: quam solam in bonis fuisse dicebat, quibus significari uidetur, heredes fideicommissarios a fiduciario in errorem esse inductos, obscuritate quidem laborant: attamen de dolo male iurisconsulto non esse sermonem, facile intelligitur.

§. III.

CONTINAVITIO.

II.) Paulus in leg. 65. §. I. D. de condit. indebit. ait:
Quod transactionis nomine datur, licet res nulla media fuerit,
non repetitur: nam si lis fuit, hoc ipsum, quod a lite discedit,
causa uidetur esse. Sin autem euidens calumnia detegi-
tur, et transactio imperfecta est, repetitio dabitur *).

Quo-

*) Rectius legit Haloander: et repetitio dabitur; Cf. Noedr. Observatt. L. II. Obs. 16.
Eiusd. Tr. de pact. et transact. Cap. 3.

Quomodo cunque hoc interpreteris fragmentum, concedas ne-
cessum est, dolum in eo errori opponi, istiusque tantum causa re-
petitionem datorum permitti, eidem uero locum non dari, quam-
uis neque lis neque causa litis adfuerit, ideoque transigens, qui
eiusmodi causam adesse putabat, uehementer errauerit. Neque
Pauli argumentum, quo sententiam suam corroborauit: *si lis fuit,*
boc ipsum, quod a lite disceditur, causa uidetur esse; nostrae opinioni
obuerti posse, patet. Non quidem negamus, Iureconsultum erro-
ris nullam facere mentionem, solamque discessionem a lite iam
copta, sufficientem declarare causam, qua niti transactio atque
datorum impediri possit repetitio. Et recte quidem. Data enim
a transigente sunt, ut litigare non necesse haberet*). Ait, cum
Paulus ponat, rem nullam medium fuisse, siue Accurso**) inter-
prete, eum, qui aliquid dedit, nihil debuisse; apparet, eum, qui
ex sola litis execratione, licet causa obligationis plane desiceret,
transactionem iniuit, in errore uersatum esse, neque tamen hunc
errorem, ut ista transactio rescindatur, posse efficere.

§. III.

CONTINVATIO.

Quemadmodum uero res in iudicium deducta, siue lis iam coe-
pta, iustum continet transactionis causam; sic III.) adeo solum litis
timorem ad id sufficere scimus, ut transactio recte inita censeatur.
Imperator enim Antoninus Caracalla Luctatio rescriptit:

Cum te proponas cum sorore tua de hereditate transegisse, et
ideo certam pecuniam ei te debere cauisse: *etsi nulla fuisset*

B 2

quae-

*) conf. l. 4. §. 1. Dig. de alienat. iud. mut. causa.

**) cuius interpretationi suffragatur Ant. Faber in Rational. in Pand. ad leg. cit.

quaestio hereditatis, tamen propter timorem litis transactione interposita, pecunia recte cauta intelligitur *).

Hoc rescriptum omnino ad quaestionem de errore pertinere uidetur. Illum enim, qui caussam litis adesse putabat, quamvis ea plane deficeret, ideoque item sine caussa timeret, in errore uer-
satum esse, tam certum est, quam quod certissimum. Et quum
hic error transactioni, ut vulgo loquuntur, caussam dederit, ex-
inde eo magis colligere possumus, in hac quoque specie tantam
non esse erroris vim, ut irritum reddere queat saluberrimum istud
litium sopiendarum remedium.

Animaduertit Illustr. Walchius **), Caracallae rescriptum ad du-
plicis generis speciale transactiones; quum fieri possit, ut timor
litis uel transigenti ab aduersario inferatur, uel, hoc item non mi-
nitante, ex alia ratione oriatur. Sed prioris quoque generis trans-
actionem haud esse inualidam statuit, si modo doli transigentium
nemo argui possit.

De hac distinctione plura afferre, eo libentius supercedemus,
quo magis conuicti sumus, hanc speciem, secundum regulas ad
metum pertinentes diiudicari minime posse.

Timoris enim mentionem facere uidetur Imperator non ut
impedimenti transactionis, sed potius ut talis rei circumstantis, qua-
sine transactione de caussa alias non dubia consistere nequeat. Im-
perator non est sermo de metu uero, siue tali, qui salutis pericu-
lum uel corporis cruciatum contineat, quo quis ad transigendum
coactus

*) 1. 2. Cod. de transact. et, qui ad hanc leg. copiosius commentatus est, Illustr. Wal-
chius in diff. de transactionib. propt. timor, litis interpositis. Ien. 1766. (Tom. I.
Opusc. exercit. 10.)

**) in diff. cit. §. 14. et 15.

coactus sit; sed de solo litis timore, quo libertas agendi minime admota est, etiamsi quis dare uel amittere hanc illamue rem, quam iudicialis litis periculis se se committere, satius duxerit.

§. V.

CONTINAVITIO.

III.) Imperatores Diocletianus et Maximianus Irenaeo rescri-
pferunt:

Sub praetextu instrumenti post reperti, transactionem bona fide finitam rescindi, iura non patiuntur *).

Etiam si igitur litigator eius documenti plane fuerat ignarus, cuius ope dubium ius reddi poterat certum atque exploratum, et quo suffultus cum aduersario sane non iniisset transactionem; hoc tamen postea reperto uel cognito instrumento ad rescindendam transactionem uti nequit. Ignorantia itaque, quae transigentem fecellit, ac forte transactioni caussam dedit, ad retractandam eam conuentionem non sufficit, si modo bona fide inter se egerint pacientes.

Eo maiorem attentionem mereri uidetur hoc rescriptum, quo certius appareat, Imperatores eo neque noui aliquid, neque quod oblatae speciei proprium esset, statuere voluisse, sed potius propositam sibi controversiam ex iure dudum constituto decidisse, sumque decretum tali ratione adiuuisse, quae non tantum speciei postea reperti instrumenti, sed et pluribus aliis prorsus conueniat.

Primum igitur non sis fuit Augustis animus, ut nouum ac huc usque inauditum ius constituerent. Aiunt enim: transactionem bona fide finitam rescindi, iura non patiuntur. Haec autem re- scribendi formula, sicuti quedam aliae similes, e.g. prohibent

B 3

*) 1. 19. Cod. de transact.



iura; non licet; non noui, sed certi et peruulgati iuris praebet indicium *).

Deinde in diiudicanda ista cauſa, hac una Imperatores nituntur ratione, quod, instrumentis poſtea repertis, bona transigentium non excludatur fides. Neque inter unius et utriusque errorem, neque inter eum, qui uitari et qui non uitari poterat, diſtinguit, ſed ut generalem legem proferunt, transactionem bona fide finitam reſcindi non debere. Quum autem bona fides dole tantum ac metu, non item errore impediatur; inde conſequens eſſe uidetur, ut error non modo hac in ſpecie, ſed et in aliis omnibus, faltem regulariter, ut hoc utamur, transactioni non obſit. Quod quidem conſiderer defendere audemus, cum in Imperatoris Philippi reſcripto ſimiliter ſancitum reperiamus, ut transactionibus bona fide interpoſitis firmiter ſtetur **).

Ioann. Pet. de Ludewig, demonſtraturum, ob nouiter reperta documenta impugnari poſſe transactionem ***); diſerta legis uerba refellere uidentur.

§. VI.

CONTIN VATIO.

V.) Idem Imperatores Martiae reſcripferunt ****):

Sub praetextu ſpecierum *****) poſt repertarum, generali transactione finita reſcindi prohibent iura.

Iterum

*) Cf. Noodtii Dioctet. et Maxim. Cap. II.

**) I. 10. Cod. de transact. Nullus enim erit litium finalis, ſi a transactionibus bona fide interpoſitis coepit facile diſcedi.

***) in paradoxo pro iure retraſtandi transactionem, nouis instrumentis repertis Cap. I. (Opus. miscell. T.I. p. 954.)

****) I. 29. Cod. de transact.

*****) Species pro instrumentis hic poſtas eſſe voluit Gothofredus; cuius tamen opinio-

Iterum ergo Caesares, errorem siue ignorantiam transactionis ui atque auctoritati nihil nocere, idque haud dubii iuris esse, existimant. Nam facile apparet, ignorantia lapsos esse, qui de hereditate uel alia rerum uniuersitate transegerunt, lite autem iam composita quasdam repererunt res, ipsis antea ignotas, quae ad idem illud, de quo transactum est, corpus pertineant. Ob eiusmodi uero ignorantiam transactio generalis, quae nimirum ad iuris uel facti uniuersitatem, uel ad genus aliquod, non ad unam uel plures certas res spectat, non rescinditur, si modo res postea repertas litigantium unus tempore compositae litis possederit, neque eas data opera celauerit. Aliter enim res se habet, si vel dolus interueniebat uel res istae ab alio, nec a transigente tenebantur *).

§. VII.

IVRECONSULTI ET IMPERATORES ROME. HOC TANQVAM REGVLAM
SEQVTI ESSE ATQVE PRAECEPISSE VIDENTVR, VT ERROR
TRANSACTIONI NIHIL OMNINO NOCERE DEBEAT.

Quas in scenam produximus, leges non solum satis superque comprobant, errorem transactionis robori in quibusdam speciebus ex iuris Romani formula, minime obesse, sed et innuere uidentur, litis compositae auctoritati in uniuersum errore nihil detrahi posse.

Quod autem euidentius elucebit, si iam allatis fragmentis quedam alia adhuc adiicimus. Quod itaque agamus.

I.) Imperatores Diocletianus et Maximianus cum Caesaribus Constantino et Maximiano, Tauro et Polioni rescripsere :

Si

ni, praeter ea, quae ab Leysero sunt allata (in Medit. ad Pand. Spec. 46. m. 11.)
id. quoque uehementer repugnare uidetur; quod lex nostra de generali tantum
principiat transactione.

*.) uid. l. 25. cit. in fin.

Si non transactionis causa, sed indebitam, errore facti, olei materia uos Archantico stipulanti spopondisse, Rector Prouinciae animaduerterit, reddito, quod debetis, residui liberationem condicentes audiet *).

Hac lege pro certo ponitur, ex errore facti, quod non debebatur, promissum esse, atque tali ex stipulatione nullam oriundae obligationem; nisi transaction sit. Ex quo facile perspicitur, eiusmodi adeo errorem, quo quis putat sese obligatum, cum tamen omni obligatione sit liber, uim suam transactioni non adimere, sed potius transactionem in se spectatam, caussam iustum esse oriundae obligationis. Quum autem grauior isto inter transigentes uix possit error accidere; ex rescripto, quod laudauimus, ad quemuis errorem, rationes haud inepte subduci posse uidentur. Iam igitur ut norma pronuntiari potest, transactionis uigorem errore siue ignorantia regulariter non impediri. Cur enim minor erratio hoc pactum sua priuaret ui; cum tamen iste grauissimus error si scilicet opineris, obstrictum te esse aduersario, cui re uera nihil debes, transactionem non reddit irritam.

§. VIII.

CONTINVATIO.

II.) Inter omnes constat, nostro iure, quod ad effectus attinet, rei iudicatae omnino aequiparari transactionem et, quos modo euocauimus, Augustos atque Caesares Antistiae ita rescripsisse:

Non minorem auctoritatem transactionum, quam rerum iudicatarum esse, recta ratione placuit **).

Pro-

*) 1.6. Cod. de iur. et fact. ignor.

**) 1.20. Cod. de transact.

Propterea per transactionem legitimam finita lis non magis; quam quae iudicis sententia decisa est, retractari aut uel ipsius principis rescripto resuscitari potest*). Nihil enim durius atque indignius uisum, quam si istud ad lites sopiendas introductum remedium, noua controversiarum semina spargeret.

Quum autem rei iudicatae talis ac tanta sit uis, ut nequaquam infringatur, etiamsi uel actor, uel reus in errore uersatus sit, uel iudex ipse in sententia ferenda a uero aberrauerit **), transactioni quoque ea uis atque potestas tribuenda uidetur, ut erroris uel ignorantiae caussa, nisi simul uel metus uel dolus interueniat, non rescindatur.

Si quis enim contenderebat, tanquam legem seruandam esse regulam: error transactioni nocet; iste huic litium finiendarum modo non eandem, quam rei iudicatae, concederet auctoritatem, ideoque disertis excitatii rescripti uerbis contradiceret.

Hoc uero rectae omnino rationi inniti uidetur. Vti enim rei iudicatae uis errore haud imminuitur, quoniam litigantes iudicialis decisionis agnouerunt auctoritatem, atque alias non esset litium finis ***); sic etiam transactio errore non infirmatur, quia transigentes, diligentiore ueritatis exploratione scienter neglecta, dubiam atque obscuram rem clariorem reddi, sibique errorem eximi, noluerunt igiturque damnum quoddam pati, quam item ulterius prosequi maluerunt, praeterea que ferri non posset, ut ex ipso sopiendarum litium remedio, noua controversiarum genera emanarent.

§. VIII.

*) I. r. Cod. sentent. rescindi non posse. I. 16. Cod. de transact.

**) I. 7. Cod. de iur. et facti ignorantia: Error facti, neandum finito negotio nemini nocet, nam-caussa decisa uelamento tali non instauratur.

***) I. 10. Cod. de transact.

§. VIII.

CONTIN VATIO.

III.) Nostra opinio quodammodo firmari uidetur alio corundem Augustorum et Caesarum rescripto hūscē uerbis emissō:

Quamuis eum, qui paſtus est, statim poeniteat, transactio (tamē) rēſcindi et lis instaurari non potest *).

Ob repentinam et statim superuenientem poenitentiam unius, ut a transactione recedatur, non permittunt Imperatores, etiamſi res adhuc integra ſit **). De cauſa poenitentiae nihil quidem aſſerunt: attamen facillimo negotio perſpicimus, hoc reſcriptum ad dolum metumue haud pertinere, errorem autem iſto comprehendēti. Vbi enim aliquis uel dolo, uel metu adductus litem transactione finiuerit, neque fieri potest, ut facti illūm poeniteat, neque, ut iſi conuentione iſta teneatur. E contrario, si quis, transactione iam perfecta, ſuum detegit errorem, transactionis initiae illum poenitet. Culpae enim commissae ſe ipſe accusat, quod non acriori et longiori perſcrutatione erroris nubeculas diſpellere ſtuduit; cum hoc facto uel magis utilē inire potuifſet transactionem, uel, litem proſequendo, uictoriā demum reportare. Minime quidem negamus, eſſe homines, quos, ob ſolam mentis inconstantiam, per unam horam unius rei tum uehemens poenitentia, tum incredibilis ſubit cupidio. Poenitentiae itaque locum eſſe poſſe, etiamſi nullus interuenerit error, haud iſtitias imus. At nobis ſufficere id iam uidetur, quod etiam error, quem quis facta demum paſtione deterxit, cauſa poenitentiae eſſe poſſit; et quod itaque, Imperatores, quum de poenitentia generatiſ ſanciueringit, neque diuersas inter eiusdem cauſas diſtinixerint, erroris quoque caſum, ut hoc pragmatico-

*) I. 39. Cod. de transact.

**) I. 36. Cod. cod.

maticorum utamur, rescripto suo comprehendisse, omnibus perspicuum esse debeat.

§. X.

CONTIN VATIO.

III.) Ex ipso silentio legum de errore in transactionibus, regulae a nobis constitutae, nisi prorsus fallimur, nouum accedit robur. Quum enim neque in Pandectarum, neque in Codicis libris ullum reperiamus fragmentum, in quo ista quaestio: num transactioni obstat error? in uniuersum uel affirmetur uel negetur, nec tamen deficiant loci, in quibus de doli metusue effectibus regula generalis constituta sit; recte sequi uidetur, ut error uel ignorantia transactioni non aequa uehementer, ac metus et dolus repugnet; immo, in regula saltē, transactionis non impeditat uigorem; cum legibus non prohibita pro licitis merito habeantur.

Quae ratiocinatio ipsis legibus, de dolo metue praecipientibus non parum adiuuatur.

Vlpianus lib. I. Opinionum *), qui per fallaciam, ait, coheredis ignorans uniuersa, quae in uero erant, instrumentum transactionis sine Aquiliana stipulatione interposuit, non tam paciscitur, quam decipitur.

Manifeste hic dolo opponitur ignorantia. Et quamvis diuersi doli atque erroris effectus in transactione disertis uerbis notati non sint; attamen perspicua est Iureconsulti mens atque aperta. Non omnis ignorantia transactioni nocere debet, sed is tantum error, in quem quis alterius fallacia coniectus atque adeo deceptus est **).

C 2

Recte,

*) leg. 9. §. 2. Dig. de transact.

**) De Aquiliana stipulatione, quae omnes obligationes et actiones perimit l. 4. Dig. de transact. l. 15. Cod. cod. nunc non attinet dicere.

Recte, uti nos quidem opinamur. In id enim, ut ab aduersario decipiatur, nemo consentit neque consentire potest. Bonam potius fidem in transfigendo quilibet expectat et postulat. Ex altera parte improbus simulator nihil acquirere, neque ut dolus sibi profit, iure exposcere potest. Ita uero res se non habet circa errorem. Hunc uelle possunt transfigentes et uolunt, cum rem dubiam penitus inquirendo claram atque exploratam reddere scientes prudentesque negligunt.

Eundem in modum Diocletianus et Maximianus, Augusti, Probae rescripsierunt *):

Interpositas metus caussa transactiones ratas non haberi, Edicto perpetuo continetur **). Nec tamen quilibet metus ad rescindendum ea, quae consensu terminata sunt, sufficit: sed talem metum probari oportet, qui salutis periculum uel corporis cruciatum contineat. Ad uim tamen uel dolum argendum qualitas caussae principalis non sufficit: unde, si nihil tale probari potest, consensu quaestiones terminatas minime instaurari oportet.

Disertis quidem uerbis errori dolum metumque non obuerunt Imperatores. Eam tamen litem *consensu terminatam* siue ualida transactione finitam appellare uidentur, quam quis neque metu coactus, neque fallacia circumuentus, amice composuit. Edicunt enim: *Si nihil tale, i. e. neque metus, neque dolus probari potest;*

*) I. 13. Cod. d. tit.

**) Num ipsa haec uerba in Edicto perpetuo contenta fuerint: an potius de pacie conuentis edicta in transactiones ab Imperatoribus tantum collata sint: de eo nunc non opus est disquirere. Ranchinus (Meermann. Thesaur. iur. ciu. et canon. T. III. p. 235.) et alii testimonium Imperiale tanti non habuere, ut ita uerba inter fragmenta Edicti perpetui referant. Adi Schaltingium (in Iurisprud. Anteius. p. 218.) et Noodtium (cit. I. Cap. 3.) tradentes: de transactionibus separatum edictum non existisse.

est; consensu quaestiones terminatas minime instaurari oportet. Erroris itaque in transactionibus nulla habetur ratio. Quaestio consensu terminari potest, licet interuenerit error. Erroris igitur causa lis minime instauratur, transactio non rescinditur.

Quispam fortasse nobis obiciat, Imperatorio nos rescripto male affingere, quae isti non insint, nec non uerba: *nihil tale etc.* pef-
fime interpretari. Isto loco Imperatores de errore plane nihil pra-
cepisse; id tantum inculcare uoluisse, quod non omnis generis me-
tus dolusue transactionem faciat irritam, sed talis solummodo,
qui non tam ex caussae principalis qualitate arguatur, quam aliun-
de desumptis argumentis possit demonstrari.

Concedamus igitur, uero esse similius, saepius laudata uerba:
nihil tale etc. de metu doloue eius tantum generis intelligi opor-
tere, cuius antea mentionem fecerant Imperatores, et de argu-
mentatione tali, quae non ex qualitate caussae et personarum,
cum quis forte multum remiserit et parum acceperit *), ideoque
laesum se putet, uel cum patre, patrono aut potentiore transege-
rit, sed ex alterius animo laedendi fraudibusque ac fallaciis, uel
minis atque ui adhibitis, desumpta sit. Concedamus haec, et ta-
men saluam adhuc rem habere uidemur.

Quaerimus enim primum ex aduersario nostro, quoniam pa-
 fieri potuisse arbitretur, ut Diocletianus et Maximianus de cauiss
 retractandae transactionis, quae fibi iustae uiderentur, sancientes,
 de metu tantum et de dolo edixerint, e contrario de ignorantia
 atque errore ne ullum quidem uerbum addiderint **)?

C 3

Dein.

*) cf. Brunnemann, ad leg. cit. 13.

**) Ant. Perez in paelect. ad Cod. habit. §. 33. dolo quidem ac metui adiicit erro-
 rem, aut plane contra legis tenorem.

Deinde neminem negare posse arbitramur, Imperatores hic metu extorta et dolo elicita separare ac fecernere ab iis, quae consensu effecta sint; eosque manifeste statuere, ut, metu tantum ac dolo exclusis, consensus transigentium, nulla alia re impediatur, et quod exinde sequitur, erroris causa transactionio non rescindatur.

§. XI.

~~TRANSACTIONIS EST NATVRAE ATQVE INDO LIS, VT
ERRORE NON INFIRMETVR.~~

Quum unanimi fere consensu tam ueterum, quam recentiorum iuris interpretum, nisi de re dubia, uix cogitari, nedum perfici possit transactionio, in rebus autem incertis atque obscuris nihil sit difficultius, quam non falli; tantum abest, ut error transactionem inutilem reddere possit, ut potius ad ipsam eius naturam necessario pertinere videatur.

Re quidem penitus perspecta, elucet, qui rem dubiam tradat, non necessario labi, quum non raro accidat, ut is, qui gravibus angitur scrupulis, in ueritatis luce, hic quem nulla ambiguitas uexat, in erroris ueretur tenebris. Sed etiamsi fieri possit, ut qui dubitat, interdum non fallatur, negari tamen nequit, illum, cui res dubia uidetur, necessitate quadam coactum cogitare debere, se forsitan duci errore suamque caussam uel peiorem uel meliorem esse posse, quam sibi ipsi videatur. Si quis autem haec uel alia eiusmodi genitrix cogitauerit, neque tamen ab ineunda transactione discesserit, quo tandem pacto de errore poterit queri, cui nec imprudens sese tradidit?

Quamuis porro non sequatur, ut, qui de ueritate opinionis suae non plane certus atque conuictus est, pro lunone necessario amplectatur nubem; attamen extra omnem dubitationis alcam est posi-

positum, eorum, qui de re uel iure quodam in diuersas abeunt sententias, errore quidem duci, non autem ueritate gaudere utrumque posse. Quodsi ergo litigatorum uterque probe intelligat, suam opinionem ab aduersario non adgnosci, illique potius acriter contradici, neque, tam uehementer inter se pugnantia simul esse uera posse, nesciat; quanam postea fronte de errore posset queri, quem ipse tamen euitare noluit?

His et alia accedit ratio. Etenim qui de re transigunt dubia atque lite incerta, minime ignorant, tenebras istas, etiam si densissimas penitiore rei indagatione, ea praeſertim, quae Praetore instituatur auctore, quodam certe dispeſili modo, quid? quod iudicialis decisionis ope cum ipsius ueritatis, ita dictae *formalis* faltem, clarissima luce posse commutari. At uero, horum omnium non nescii, maiorem et sumtuosiorum cauſas diſquisitionem, grauemque ac diuturnam litem uel inchoare uel ad finem usque perſequi nolunt. Litem sua uoluntate dirimere, quam conflictari malunt. Satius enim sibi ducunt, erroris cauſa, in quo uel unus uel uterque forsitan uersatur, quoddam sentire clamnum quam litis prosequendae molestia incertique eiusdem euentus angore diutius excruciali. Quisnam itaque non uideat, eos, qui litem consensu suo componunt, nodum Gordium subito diſsecari, quam sumtuosa et multorum forte annorum diſsolui opera, malle et, quod exinde sequitur, ueritati errorem prudentes scientesque praeferre.

Cur igitur transactionem rescinderet error, neque inopinatus neque inextricabilis? Et curnam a tritissima illa et rationi quam maxime consentanea, iuris regula recederemus, qua praeſcriptum est, ut error uoluntarius nemini nisi ipſi erranti imputetur *).

§. XII.

*). Cap. I. X. de transact. Diffent. Hellfeld in diff. de eo, quod ob species nouiter reperitas circa transactiones iuris est. (Opusc. T. I. n. 4.) §. 8.

§. XII.

SPECIES REGVLAE HAVD SVBLECTAE A.) EX DISERTA
LEGVM SANCTIONE.

Quemadmodum nullam fere dari iuris regulam, quae non plures habeat exceptiones, omnibus satis cognitum est; sic hoc quoque in ea, quam huc usque constituere atque firmare studuimus, accidere norma, nemini, uti opinor, mirum videbitur. Quarum exceptionum aliae in ipsis legum uestibulis continentur, aliae ex legum rationibus eliciuntur. Quae prioris sunt generis, statim proponamus; quae posterioris deinde sequentur.

Ad priorem autem pertinent classem:

I.) Si *ex falsis instrumentis* transactiones initae fuerint *).

Eas enim, quamvis iusurandum de his interpositum sit, etiam ciuiliter falso reuelato, retractari, praeceperunt Imperatores Leo et Anthemius. Haec constitutio certe ad errorem tantum, non ad dolum respicit, talemque ponit casum, ubi litterae istae, quibus litigatorum unus ut transigeret, in primis fuerit adductus, ab utroque pacientium pro uestris ac fide dignis habitac sint, eas autem falsas esse, postea demum, siue criminali siue ciuili examine cognitum sit. Imperatores enim neque calumniae siue doli, quo alter alterum deceperit, neque actionis aut replicae, eius cauſa decepto competentis faciunt mentionem, quod in simili specie non praetermissum uidemus **). Praeterea legem sequenti modo restringunt: *Si de pluribus cauſis uel capitulis eadem pactiones siue transactiones initae fuerint, illa tantummodo cauſa uel pars retractetur, quae (ex) falſo instrumento compoſito conuicta fuerit, aliis capitulis firmiter manentibus.*

Si

*) l. 42. Cod. de transact. Idem fere circa rem indicatam constituerunt Impp. Severus et Antoninus in leg. I. Cod. si ex falsis instrumentis uel testimonii indicatum sit.

**) uid. l. 19. Cod. de transact.

Si quis enim falsum instrumentum, non temere, sed consulto ut verum protulisset, hocque modo aduersarium ad transigendum induxisset; ista litis compositio, tanquam dolo elicita atque effecta, sane omnino corrueret.

Ceterum non praetereundum est, errorem circa instrumenti veritatem tunc demum infirmare transactionis pactum, si tabulæ istae non iam antea ut falsæ impugnatae sint. Imperatores enim postremo adjiciunt: nisi forte etiam de eo, quod falsum dicitur, controversia orta decisâ sopiaitur. Error itaque circa falsitatem instrumenti ad regulam quoque pertinere potest.

§. XIII.

CONTINAVIT.

II.) Si error circa proprietatem rei apud alium, extra personas transigentes, tempore transactionis constitutae interuenierit*).

Eiusmodi enim error ex rescripto Imperatorum Diocletiani et Maximiani *), erranti nihil potest nocere, et generalem quoque transactionem rescindit.

Secundum priorem huius rescripti partem, uti iam §. VI. animaduertimus, generalis transactio ne ob species quidem postea repertas debet conuelli.

Et ratio huius constitutionis est in aprico, cum genere omnes sane species comprehendantur. Quum itaque Imperatores de errore circa proprietatem rei apud alium constitutae, plane aliud valere iussent; non immerito quaeritur, quidnam eos mouerit, ut in decidenda hac specie, a regula tum iuri et rationi prorsus consentanea, tum ab ipsis alias agnita recederent.

^{*}) 1. 29. Cod. de transact. Hac

Hae quoque res, quae apud alium tempore transactionis constitutae fuerant, si modo ad eam rerum uniuersitatem, de qua transactum, pertineant, et postea demum detegantur, speciebus post repertis, quarum caufa generalis transactio non debet retrahari, annumerandae uidentur. Manifestum est, sub isto eas generi contineri, de quo transactum.

Frustra igitur in illud delabi uidentur iuris interpretes^{*)}: hisce de rebus, tunc temporis ab alio, non ab litigantibus, possessis, haud cogitasse transigentes, ideoque de iis pactum conuentum intelligi non posse; quamuis de genere fuerit transactum et cogitans de genere, de omnibus quoque speciebus cogitasse praesumatur, in nostro tam en casu praesumptionem cedere ueritati; præterea: eiusmodi errorem esse probabilem, cum nemo reprehendi possit, quod non inquiuerit in rem, in quam non cadebat suspicio, esse e.g. hereditariam.

Primum quidem non negamus, quod insigne quandam Ienensis academiæ ornamentum, *Helfeldius*, opposuit, afferendo ea quoque, quae uero sunt simillima, ipsi tamen ueritati longe esse postponenda. At in hac specie non quaeritur: num transigentes de rebus postea repertis, antea iam cogitauerint necne? sed an de iis cogitare potuerint et debuerint? Alias regula ipsa de rebus post repertis, transactioni generali minime nocentibus, penitus tolleretur. Si enim *Helfeldium* sequeremur, in qualibet eius generis controuersia de eo sollicite disquirendum esset, utrum actor, cum transigeret, de rebus transactione facta demum repertis, iamiam cogitauerit necne? Et si iste hoc posterius planum faceret, transactio, iuris regula, quam modo laudauimus, neglecta, esset

^{*)} Vid. G. Noodt. de past. et transact. Cap. V. et Helfeld, diss. de eo, quod ob species nouiter repertas, circa transactiones iuris est. (Eiud. Opusc. T.I. n.4.) §. 30.

set rescindenda. Deinde illustribus viris, quos excitauius, lumenissime concedimus, excusatius quidem errasse, qui de rebus ab alio, non aduersario, possessis in transigendo haud cogitauit. Attamen is omni culpa nequaquam uacat. Qui enim de genere quodam paciscitur, de omnibus speciebus sub isto genere comprehensis debet cogitare. Nec multum interesse uidetur, num eiusmodi res ab aduersario, an ab alio possideantur. Transgens enim de genere, cogitare quoque debet, fieri posse, ut res quaedam sub isto genere contentae apud alium extent. Si igitur quadam de re non cogitauit, cuius tamen rationem habere debuit; cur aliis suum imputaret errorem? cur non suae imprudentiae ipse lueret poenam? Et cur e contrario de tali specie non censeretur transactum?

Amplius quidem instat *Helfeldius*, aiens: Inimo ne poterat quidem ea de re transigi, quia de his speciebus, transactionis scilicet tempore, apud alium constitutis, inter transigentes nec lis erat, nec esse poterat. Nos uero non possumus, quin interrogemus, quoniam iure prohibitum sit, ne de re a tertio possessa litigemus, praesertim si ea ad rerum complexum, quem unus litigantium possidet, pertineat. Lubenter quidem fatemur, talem item tertio isti nullo officere posse modo. Neque tamen perspicimus, quare eiusmodi controversia inter ipsos litigantes recte decidi nequeat.

Alia ergo ratione niti uidetur haec exceptio, de qua infra dicemus.

§. X I I I .

C O N T I N V A T I O .

III.) Si transactio super fideicommisso, uel legato testamenti tabulis relicto facta sit, et postea codicilli proferantur, quibus fi-

deicommissario uel legatario aliquanto plus relictum inueniatur, transactio corruit, aut potius fideicommissi uel legati, quod amplius in codicillis fuerit, petitio perinde supereft, ac si transactum non fuisset.

Codicillorum ignorantiam transactioni posse nocere, illustres Romanorum Iureconsulti, Scaeula atque Celsus, uno ore statuunt*). Posterior hanc addit rationem, quod postea prolatis codicillis, non improbe quis dicere possit, *de eo duntaxat se cogitasse, quo illarum tabularum, quas tunc nouerat, scriptura contineretur*. Neque Papiianus aliter sentire uidetur. Ait enim in libro I. definitionum: *Lites, de quibus non est cogitatum, in suo statu retinentur**).* Dubitari tamen potest de huius exceptionis ueritate, dupli ex cauſa.

Primum Scaeula sibi ipsi non constare uidetur, cum in alio fragmento, supra iam in medium prolato, responderit, restitucionem ei, qui transegit, denegandam esse, licet quadruplo amplius in hereditate sit, quam acceperit. At haec diuersae decisiones inter se minime pugnant. Nam in altera specie de his, quae ex foliis testamenti tabulis peti poterant, in altera autem de iis, quae insuper in codicillis relicta erant, quaerebatur.

Deinde ius hoc antiquius pro reuocato potest haberi, cum Imperiali auctoritate constitutum sit, ut postea repertorum instrumentorum cauſa transactio haud rescindatur, codicilli autem ex legum romanarum sanctione, instrumentis accenseantur***).

Ait praeter id, quod posteriore lege generali non semper specialis prior abrogetur, perpendamus necesse est, Iureconsultos de talibus tantum pronuntiare codicillis, quibus fideicommissario ali-

*) l. 3. §. 1. et l. 12. Dig. de transact.

**) l. 5. cod.

***) l. 2. D. testam. quemadmodum aperiant.

quanto plus relictum sit, huius autem generis codicillis post repertis, nouam transfigentibus innoscere petitionem, de qua tunc temporis, cum litem sua voluntate componerent, nondum litigaverunt neque adeo cogitarunt, cum alias sub nouiter repertis instrumentis, talia intelligentur, qualia nouam iam contradictae petitionis praebent demonstrationem. Quod ad rationem huius exceptionis attinet, Papinianus profecto eam quam planissime exposuit, cum id tantum prohibitum declararet, ne transactio ultra modum extenderetur adeoque ad lites, de quibus non est cogitatum, traheretur. Neque tamen a Papiniani sententia deflectit Celsus. Improbatis enim reprehensione non eum, qui de instrumentis post repertis in transfigendo non cogitasse se diceret, sed hunc liberat, qui transactionem ad aliud ius, quam ad id, de quo in transfigendo super testamenti tabulis actum fuerat, pertinere non posse contendere.

§. XV.

CONTINAVITOS

III.) Si in calculo, siue computatione erratum sit.

Saepius enim excitati Imperatores, Diocletianus et Maximianus Aureliano Quarto rescripsere *):

Errorem calculi, siue ex uno contractu, siue ex pluribus emergerit, ueritati non asserre praetudicium, saepe constitutum est.

Hanc legem generalem ipsi quidem Augusti per ea, quae statim sequuntur, uerba restrinxisse uidentur, aientes:

unde rationes etiam saepe computatas denuo tractari posse, si res judicatae non sunt, uel transactio non interuenit, expiatori juris est. Sed et si per errorem calculi uelut debitam quan-

D 3

tatem,

*) in leg. un. Cod. de errore calculi.

titatem, cum esset indebita promisisti, conditio liberationis tibi competit.

Casus enim rei iudicatae et transactionis ab aliis distinguentes non obscure significant, transactione interposita, rationes iamiam computatas ulterius tractari non posse.

At iuris interpretes ista posteriora uerba rescripti de ea tantum specie intelligi uolunt, in qua de ipso calculi errore uel iudicatum sit uel transactum *); cum longe diuersa sint, per errorem et de errore sententiam ferre uel transigere. Et haec legis interpretatio, licet non omnibus uacet scrupulis, duplii tamen argumento firmatur, quod et Imperatores calculi errorem aliaque rationum uitia non satis distinxerunt, et Pandectis ex Macerii libris de appellationibus insertum legimus fragmentum: *Si calculi error in sententia esse dicatur, appellare non necesse est — — nam quoniam error computationis est, nec appellare necesse est, et citra provocationem corrigitur **).*

Quum autem transactio et res iudicata aequo iure utantur; de hac ad illam rationes subducere, atque idcirco colligere possumus, etiam transactionem calculi errore inutilem irritamque fieri.

Sed quanam ex causa, calculi error et transactionem rescindat, et rem iudicatam? de hac quaestione infra dicendi locus est constitutus.

§. XVI.

*) Ant. Perez, Praelect. in Cod. tit. de errore calculi. Wernheri sel. Obs. for. P. VIII. Obs. 427. Hellfeld, diff. cit. §. 17. in fin. Fr. Gottl. Zoller. diff. an ob errorem rescindi possit transactio? (Lipf. 1765.) §. 9. — Eadem sequitur interpretationem Lex Borussica universalis (*Allgemeines Gesetzbuch für die Preußischen Staaten. Th. I. Tit. XVI. § 429. 431. 432.*) ita tamen, ut contra heredes transactionis, decennio iamiam ab tempore initiae transactionis elapso, rescissio transactionis ob calculi errorem peti nequeat.

**) l.l. §. 1, Dig. quae sentent, sive appell. rescind.

§. XVI.

SPECIES DE REGVLA EXCEPTAE B.) EX
LEGVM RATIONIEBV.

Transactio uim impedito errore, tradunt iurium interpretes
I.) si transactio ex falso initur cauſsa.

Quum enim falso, quod liti componendae materiam praebuit,
instrumento transactionem infirmari sciant, hoc idem ob quamlibet
aliam falsam, cui innixa sit transactio, cauſsam fieri debere Pragma-
tici putant. Ast a particulari ad uniuersale, ut cum schola loqua-
mur, rationes subduci non possunt.

Accedit, quod ex ipsarum legum praescripto, transactiones,
quae uel plane deficiente litis cauſsa, uel ex uano litis timore
(§. III. et IIII.) uel spe futurae hereditatis*) initae sint, ui sua at-
que effectu priuari non debeant.

Porro quidem iurium doctores ad fragmentum Pauli prouo-
cant, inquietis :

Si sine iudice diuiserint res, etiam conditionem earum rerum,
quae ei cesserunt, quem coheredem esse putauit, qui fuit he-
res, competere dici potest; non enim transactum inter eos in-
telligitur, cum ille coheredem esse putauerit **).

Monent, hereditatis diuisionem alias in iure nostro pro trans-
actio haberi ***), in hac tamen specie, quam proposuit Paulus,
hereditas licet esset diuisa, transactioni omnem uim negari, hac
una ex cauſsa, quoniam res cum falso coherede peracta fuerat.

Ex

*) I. 25. Cod. de transact.

**) I. 36. §. fin. Dig. famil. excise. Similem fere decisionem habes in I. 4. Cod. de iur.
et facti ignor.

***) I. 122. §. ult. D. de verb. obligat. I. 35. in fin. de past. cf. Schilteri Exercitatt.
Exerc. 9. §. 5.

Ex hoc sufficienter patere putant, etiam in aliis casibus, ubi quis, falsa causa impulsus, litem transactione finiuere posse. ^{OLIM MVLIA}

Nobis alia sedet sententia. Iureconsultus Paulus non tam hoc affirmare uidetur, transactionem, quae uerum inter et falso coheredem contrafacta sit, irritam, quam potius illud, inter istos plane non transactum esse. Quod quidem iuri nostro consentaneum puto. Quoties enim hereditatis diuisionem transactioni comparatam uidemus, toties de diuisione ueros inter coheredes facta est sermo, eique uis atque effectus transactionis hac tantum mente tribuitur, ut de partibus rebusque hereditariis cuiilibet heredum assignatis, non uero de ipso hereditatis iure, diuisione facta transactum sit. Vt cunque haec sint, thesis ista de falsa cauſa, transactionem conuellente, generatim uix valebit^{**}).

§. XVII.

CONTINVATIO.

II.) Irritam existimant transactionem, quando paciscentes in errore circa subiectum uersentur; si quis nempe putat, conuenire se cum Titio, eum tamen ille, cum quo paciscitur, sit Caius, quia in hoc casu consensus nullus adest, cum se Titio ex sua uoluntate obligare uoluerit, non uero Caio^{***}.

Per

^{*)} Ant. Fabri Rational. ad leg. 36. §. fin. famil. exercit. Hellfeld. diff. cit. §. 17. Zoller, in exercit. iurid. quaestione: an ob errorum rescindi possit transactione continentem §. 8. ex ista lege saltem demonstrare studeat, errorum iure meritoque inter causas rescindendi transactionem referri.

^{**)} Affirmat eam Leyserus Spec. 47. med. 1. Ill. Walchius negat in diff. cit. §. 15. not. 1.

^{***}) Habet ipsa Abellii uerbâ in diff. de rescindione transactionis tam in genere quam in specie respectu laetionis enormis (Erlang. 1785.) Sect. II. §. 14.

Per ea, quae §. proximo sunt allata, de huius quoque exceptionis ueritate dubitari, et quaeri saltem potest, num error circa personam, et quanam de cauſa tanti habendus sit, ut transactionem queat infirmare. Infra de utroque commodior erit dicendi locus.

§. XVIII.

CONTINAVIT.

III.) Transactionem rescindi posse, iurium interpretes tradunt, si error circa ipsum transactionis obiectum ita commissus sit, ut paſſentes uel rem, quae non fit, esse, uel quae aliena est, suam putarent, uel denique de plane diuersis rebus cogitarent.

Neque, quod ad utramque priorem speciem attinet, dubium uidetur, eos, qui item sua uoluntate composuerent, uel nullo uel plane alio modo fuisse transacturos, nisi, transactionis obiectum uel non existere, uel rem alienam esse, penitus ignorassent.

Eorum igitur consensus in ista transactione profecto deficit, aut si, eos consensisse, fingere uelis, id tamen non, nisi sub tacita hac conditione, ut res de qua transigerent, et uere nec aliena sit, factum esse, credendum est. Conditione autem deficiente, consensus ipse conditioni adstrictus deficit.

At scrupulum mouet, quod si haec argumentatio recte se haberet, inde sequeretur, etiam postea repertorum instrumentorum cauſa irritam fieri debere transactionem. Is enim etiam, qui documenti ope, ius suum demonstrare potuisset, uel non uel aliter transegisset, nisi tunc temporis tabulae postea repertae sibi fuissent incognitae. Opus itaque erit, ut de firmiore solliciti simus ratione, cui inuestigandae infra operam dabimus.

Ceterum quod de re tota ualet, ad eam quoque speciem transferendum est, ubi pars tantum obiecti transactionis, nescientibus

iis, qui litem componunt, uel iam interierit uel aliena sit. In posteriori casu, quo nimirum uterque contrahentium aliam plane rem, hic u.g. Tusculanum, ille Cornelianum sibi cogitauerit fundum; nemo sane *Helfeldio* contradicet, aienti: istos potius dissentire, non consentire^{*)}). Eos enim in idem placitum non conue nisse, manifestum est. Quumque Pomponius doceat; in *omnibus* negotiis, siue bona fide sint siue non sint, si error aliquis intervenit, ut aliud sentiat (puta), qui emit aut qui conductit, aliud, qui cum his contrahit; nihil valere, quod acti sit^{**)}); hoc de transactione quoque statuendum esse uidetur.

Sed infra ostendemus, hanc ulteriorem speciem ad quaestio nem de errore in transactionibus aestimando ne quidem pertinere.

§. XVIII.

CONTINAVIT.

III.) Qui super testamento, quod per posterius ruptum esse ignorat, paciscitur, ex Wernheri^{***)} sententia non obligatur.

Ratio est (utimur ipsius Wernheri uerbis), quia paciscentis consensus circa id deficit, quod ad substantiam obligationis pertinere intelligitur. Manifestum enim est, eum hoc casu supponere, in eoque sui consensus fundamentum constituere, quod testator voluntatem suam mutauerit, adeoque nullae posteriores ultimae voluntatis tabulae adsint; quales si reperiantur, initio statim verum consensum haud adfuisse existimandum est.

Haec illustris quandam Wernherus. Neque dubium est, quin ille de transactione praecipue consultus, iisdem ex rationibus eundem in modum

^{*)} in diff. laud. §. 15.

^{**)} in l. 57. D. de obligat. et act.

^{***)} in Obs. fel. forens. P. X. Obs. 283.

modum responsurus fuisset. Verum enim uero eius doctrina euerfi uidetur clara ista lege, quae transactionem, ob nouiter reperta instrumenta, rescindi uetat; quamuis haud raro unicum transactionis fundamentum in eo positum sit, ut pacis gens illius instrumenti existentiam, cuius auxilio de iure quodam sibi competente fidem iudici facere poterat, plane nescierit, neque tamen ignorauerit, hunc, cui argumentorum copia desit, aequa ac illum, cui ius deficiat, uictum e iudicio discedere. In talibus itaque speciebus, simili ratione contendi posset, uerum consensum iam ab initio defuisse; atque adeo, nouiter repertis instrumentis, irritam fieri transactionem. Quod tamen iuris nostri Auctoribus minime placuit.

Sed de istius exceptionis uel ueritate uel falsitate, aptiore, infra inueniemus dicendi locum.

§. XX.

PRINCIPIVM NOSTRVM EXPLICATVR ATQVE FIRMATVR.

Enumeratis speciebus, in quibus ex iuris Romani formula, transactioni uel obicit uel nihil noceat error, alterum dissertationis nostrae aggredimur caput, quo nos operam datus polliciti sumus, ut, quod philosophiae doctores appellant uniuersale, principium inuestigemus, ex quo qualis quantusue error transactioni noxious uel innoxius sit? recte intelligi atque definiri queat. Tale principium ex ipsis transactionis natura ac fine deducendum esse, facile patet. Cuius rei itaque periculum faciamus.

Omnis transactio in id potissimum tendit, ut lis, quae uel agitari iamiam coepita est, uel saltem imminet, eorum, ad quos haec controuersia pertinet, consensu finiatur aut praecaueatur. Transigentibus is certe est animus, ut rei dubiae atque obscurae

penitior indagatio intermittatur utque controuersia exorta statim; et sua quidem ipsorum uoluntate, non autem, interiecto forte longo temporis interuallo, iudicis sententia decidatur. Errare igitur damnumque ex errore forsitan proueniens sentire, quam causam cognosci, iudicisque decreto uerum edoceri malunt. Erroris ergo, quem ipsi uolentes, ueritati praetulerunt, transactionem impugnari non posse, certum est. Qui enim huiusmodi erroris cauſa transactionem infringere uellent, sibi ipsi manifeste contradicerent.

Verum enim uero in lite incerta, non facile fieri, ut omne id, quod ad cauſam pertinet, dubium sit atque controuersum, animaduertendum est. Saepenumero potius evenit, ut, qui de quibusdam cauſae capitibus acerrime inter se pugnant, de aliis rebus, eandem cauſam circumstantibus prorsus concinant. Inde ea litis contestationis species, quem mixtam uocamus. Actor u.g. Caïi testamentum hac quidem ex cauſa conuellere cupit, quod externa ei deficit solennitas. At istis tabulis ueram Caïi uoluntatem contineri, actori aequa ac reo est perſuafum. Si uero talia cogitari possunt cauſae capita, qualia neutri litigantium sunt dubia; ad ea idem, quod rei dubiae duntaxat proprium est, non pertinere, quis non uidet? Quamuis igitur transigentes cauſam cognosci, remque dubiam atque controuersam judiciali disceptatione atque decisione claram certamque fieri, propterea que erroris periculo fese liberari noluerint; attamen haec transigentium mens ad dubias tantum res referri debet, non autem colligi potest, eos circa ista quoque litis capita, quae neque controuersa erant, neque litigantibus dubia uidebantur, errorem effugere noluisse, atque ideo in his, quae ipsis indubitate ac certissima uisa sunt, exceptioni erroris et ignorantiae tacitos renunciasse.

Ex

Ex hisce omnibus sequi facile intelligitur, eo quidem erroris, genere, quo transigentium consensus minime impeditur, transactionis uim infirmari non posse, id autem erroris genus solummodo locum habere in iis, quae litigantes ad controuersa atque dubia retulere. In errore igitur, quo capti sunt transigentes dijudicando, dispiciendum est perpetuo, utrum is pertineat ad caput controuersum atque dubium, an spectet ad ea, quae litigantes pro indubitatis atque certis habuerunt. Quo quidem principio duplex continetur regula:

- I.) Error, qui ad controuersum caussae caput pertinet, transactioni non potest nocere.
- II.) Error autem, qui ad caput non controuersum spectat, transactioni obesse potest*).

Vt hoc principium ipsa transactionis indole niti; sic, quod, tum simplex, tum sufficiens est, probabile uidetur. Quasunque enim tibi singas de errore in transactionibus obueniente controuersias; ad eas decidendas, hae duae regulae sufficient. Siue enim quis in iis rebus, quae ad factum, siue in iis, quae ad ius pertinent, lapsus sit; siue error commissus ad subiectum uel obiectum transactionis spectet; semper tamen, ut uel ad controuersum dubiumque, uel ad non controuersum caussae caput pertineat, necesse est. Erroris itaque uis ex una uel altera regula semper iudicari poterit.

Vt sententia nostra magis perspicua fiat, cogitemus Caii testamentum, quo Titius heres est scriptus, ob externarum solennitatum defectum impugnari a Sempronio; item hanc amice componi; quo facto, transigentibus notum fieri, Caii tabulas esse compositiones. Quidnam de hac statuamus transactione?

E 3

Certe

*.) Error, qui de re haud dubia committitur, ex iisdem regulis indicandus est, quibus error in pactis commissus aestimatur.

Certe inutilem iudicabimus. Etenim transigentium error ad id caussae spectat caput, quod minus controuersum erat. De ueritate istius testamenti neque dubitatum neque certatum.

Aliter prorsus decidenda esset quaestio, si de eo, num testamenti tabulae uerae an potius falsae sint? litigatum, atque haec controuersia transactione sopita fuisset. Licet enim huius testamenti falsitas, aliquanto post extra omnem dubitationis aleam ponneretur; haec tamen transactione ui sua atque auctoritate non esset priuanda. Nam in hac specie error litigatorum ad tale pertinebat caussae momentum, quod in controuersiam fuerat uocatum.

Adstipulari nobis uidetur ius Romanum multiplici ratione. Cuius caussae hic iam quaedam afferamus argumenta. Primum in eo latet, quod rei iudicatae aequiparetur transactionio. Quemadmodum enim, qui ex alio nunc fundamento ius suum persequitur, rei iudicatae exceptione repellri nequit; ideoque Sempronius ille, quamvis caussa ob solennitatum defectum mota cecidisset, tamen audiendus esset, si forte Caii testamentum, ut falsum ac suppositicum postea impugnaret; sic idem transactione non impeditur, quo minus contra Caui testamentum ex alia ratione, e.g. falsitatis prodcat atque cum herede testamentario lege agat.

Deinde notatu est dignum, quod, licet iure Rom. constitutum sit, ut de re iudicata transigi non possit, quoniam nulla nisi rei dubiae uel litigiosae est transactionio, Vlpianus tamen doceat, eam quoque transactionem, quae post rem iudicatam inita sit, *uires babere, si uel hoc ipsum incertum sit, an iudicatum sit, uel an sententia ualeat*^{*)}.

Postremo obseruamus, in lege iam excitata 42. Cod. de transact. diserte quidem Imperatores, Leonem et Anthemium,

trans-

^{*)} l. 23. §. 1. Dig. de condit. indeb.

transactiones ex falsis instrumentis initas retractari praecepisse, atamen ipsos plane aliud statuisse, „si forte etiam de eo, quod falso dicitur, controversia orta decisamente sopiaatur.“

Sed nunc ad eas, quae in legibus Romanis decisae sunt, circa transactionem controversias reuertamur atque, num istorum decretorum nostrique principii sit consensio an dissensio, videamus.

§. XI.

PRINCIPIVM NOSTRVM LEGVM DECISIONIEVS CONVENIRE OSTENDITVR.

I.) Ius Romanum sub praetextu instrumenti post reperti, transactionem bona fide initam rescindi, generatim *) uetat (§. V.). Et in specie constitutum esse scimus, ut heres fiduciarius, quamvis fideicommissarii minimam tantum quantitatem ex transactione restituerit, atque deinde quadruplo amplius in hereditate fuisse, apparuerit, in reliquum fideicommissi nomine conueniri nequeat. (§. II.)

Vtraque haec decisio priori regula riti uidetur. De talibus enim documentis est sermo, quibus unus litigantium vel actionem vel exceptionem possit demonstrare. Quum vero ea tantum argumentis probare opus sit, quae ab aduersario contradicta sunt; nouiter reperta instrumenta ad caput controversum pertinere, nemo, opinor, infitiatitur. Praeterea de hoc quoque, num talia documenta sint? inter se dissidere litigatores, negari non potest, cum quilibet, fore; ut ius suum planum facere possit, speret, eiusdem aduersarius autem illud neque testibus neque tabulis probari posse, contendat.

E con-

*) Exceptio: nisi instrumenta postea reperta ad caussam pertineant publicam l. 35. Dig. de re iudic. quae ad pupilos quoque protrahitur ob leg. 3. Cod. de iuribus reipubl. cum in speciali subiecti favore nitatur, atque praeterea, exceptione confirmari regulam in casibus non exceptis in vulgus notum sit, nostrae opinioni obverti non poterit.

E contrario legibus romanis constitutum est, ut transactio super fideicommisso uel legato testamenti tabulis relicto corruat, simulac codicilli proferantur, quibus fideicommissario uel legatario aliquanto plus relictum sit. (§. XIV.)

Quamquam enim codicilli ad genus instrumentorum sint referendi; in hac tamen specie ad caput non controuersum isti pertinent, ideoque ex posteriori regula transactionem infirmare possunt. De eo tantum, quidnam ex testamento iure posci possit, inter se dissentiebant litigatores. De codicillis inter eos nulla prorsus pugna. Codicillos potius a testatore non esse factos, ambo putabant, atque ita hac de re penitus inter se consentiebant.

Rumpunt igitur transactionem codicilli non ideo, quod sint nouiter reperti, sed propterea, quoniam illorum auxilio, errorem de capite non controuerso interuenisse, demonstrari potest. Aliam quidem illius legis rationem Papinianus ac Celsus afferunt, de qua supra (§. XIII.) iam dictum est. Attamen salua nobis res esse uidetur, cum ista, qua Iureconsulti usi sunt, ratio specialis in nostra generali omnino comprehendatur.

§. XXII.

CONTIN VATIO.

II.) Ob praetextum specierum post repertarum, generalis transactio ex praescripto clarae legis non rescinditur. (§. VI.) Quae tamen lex ad eam non extendenda est speciem, si error circa proprietatem rei apud alium extra personas transigentes, tempore transactionis constitutae interuenerit. Eiusmodi enim error transactioni nocet. (§. XIII.)

Iam supra in rationes tam diuersae ac propemodum sibi contrariae decisionis inquisiuimus. Difficultas in eo latet, quod istae apud

apud tertium constitutae ac postea repertae res, tanquam particulae ad totum pertinentes, sub rerum uniuersitate, de qua transactum, recte comprehendantur, ideoque nec dici possit, de iis cōgitatum non esse.

Nostrī principiī auxilio res haec dubitationi eximi atque explicari posse uidetur. Etenim eae tantum res, ad quemdam rerum complexum pertinentes, quas uel unus uel uterque litigantium tunc temporis possidebat, in controuersiam deductae erant. De hisce tantum certamen iudiciale uel initum erat uel ineundum; et de iisdem tantum hac lite uerum perspici atque decisio fieri poterat. Error itaque circa tales, ab utroque litigatorum possellas res ad caput controuersum pertinet, ideoque transactioni non nocet. Sin uero quidam alius res possideat ad istam iuris uel facti uniuersitatem pertinentes, nostri litigatores de hisce rebus sane non certant, non dissentunt. De hoc potius inter se consentiunt, tales res apud aliū haud inueniri, uel, si forte res ipsas nouerunt, illarum possessorem pro uero ac iusto domino habent. Recte igitur, posterioris generis ignorātiā transactionis uim infirmare, statutum uidemus, cum eiusmodi error ad caput haud controuersum omnino pertineat.

§. XXIII.

CONTIN VATIO.

III.) Transaction natura sua continent nouationem. Transigentes enim a priori obligatione recedunt et nouam constituunt, quoniam dubium et incertum ius omittere et pro eo, certum ac indubitatum ius nancisci uolunt *). Et quamuis antea plane nulla extitif-

*) Ios. Averanii Interpretat. iur. L. III. Cap. VIII. §. 10.

extitisset obligatio, hoc ipsum tamen, quod a lite dilceditur, caussam obligationis continere uidetur. Quod transactionis nomine datur, id non sine caussa datum habetur, ideoque ut indebitum non condicitur. (§. VII.)

At quaeri potest, curnam ipsa lis uel adeo solus litis timor, qualibet alia caussa, quae transactionem suadeat, quid? quod omni obligatione prolsus deficiente, iamiam ad id sufficiens sit, ut transactio de re alias minime dubia recte incaetur, atque errore tam graui non infirmetur?

Satisfacere quaerenti ex principio nostro posse uidemur. In eiusmodi enim speciebus error in eo committitur, ut aliquis suae nimium diffidat caussae, aduersarii uero meliorem, quam re ipsa est, arbitretur. Hic autem error manifeste ad ea pertinet capita, de quibus dissentient litigantes, nimirum uel ad obligationis ueritatem ab altero affirmatam, alteroque negatam, uel ad argumentorum, quibus usuri sint, uim atque copiam.

At, inquis, haud raro fieri, ut quis ex solo litis taedio a certamine iudiciali recedat, etiamsi caussam suam optimam esse sciat, praetereaque tabulas ac testimonia necessaria in promptu habeat. In eiusmodi igitur specie dici non posse, errorem ad tale caput pertinuisse, de quo transfigentes inter se disceptauerant.

Attamen iterum saluam rem nostram putemus. Concedamus enim, de errore hic nihil affirmari nilque negari posse; quoniam in ista specie errorem ne interuenisse quidem, satis perspicuum est. Istius igitur speciei decisio ex principio nostro neque petenda est, quippe quod ad eas tantum attinet species, ubi transigentium uel uterque uel saltet unus errore lapsus fuerit.

§. XXIII.



§. XXIIII.

CONTINVATIG.

III.) Principio nostro in primis non inniti modo, sed etiam ex eo deducta uidentur, quae de falsorum instrumentorum ui circa transactionem constituta legimus. Cum quis enim corrupto additus documento transegerit, transactio potest rescindiri; nisi forte etiam de eo, quod falsum dicitur, controuersia orta decisa sopiaatur.

In priore constitutionis parte ob oculos ponunt Imperatores speciem, qua tantum absunt, ut litigatores de instrumenti ueritate dubitarent, ut, illo potius tanquam primaria, atque unica cauſsa ineundae transactionis uterentur. Eiusmodi erroris ergo, retractari posse transactionem, Imperatores iubent. Documenti enim uitium ad ea pertinet capita, de quibus litigantes inter se minime discrepabant. Plane diuersa autem placuit Augustis decisio in posteriore constitutionis parte. Quodsi nimirum de eo ipso, num instrumentum quoddam, uerum an falsum sit, iamiam dimicatum, haec autem controuersia transactione finita fuerit, uitium postea detectum atque errorem in hoc commissum ad rescindendam transactionem haud sufficere uolunt.

Transactionis itaque uim atque robur non ex documenti, quo litigantium unus fuerat usus, falsitate postea comperta, sed ex eo unice pendere, utrum de ueritate instrumenti litigatum fuerit, necne? facile intelligitur. Quodsi uero in cauſam inquiramus, qua moti Imperatores iusserunt, ut in posteriore ista specie, error circa documenti ueritatem commissus transactionem haud infirmaret; statim patere uidetur, istum errorem propterea esse innoxium, quia ad controuersum pertinet caput, ideoque talis est, qualem transientes euitare noluerunt.

§. XXV.

CONTIN V A T I O N

V.) Quae in legibus constituta et ab iurium interpretibus tradita uidemus circa vim erroris calculi in transactione, ueritatem principii nostri corroborare atque confirmare uidentur.

Hic enim calculi error transactioni uel noxious est uel innoxius, prout uel de ipsa calculi ueritate aut falsitate, uel de aliis rationum redditarum uitiis litigatum fuerit. Quodsi prius contigerit, error transactionem infirmare nequit, quoniam ad caput controversum pertinet. Sin autem posterius euenerit atque inter transientes de aliis rationum uitiis, non de calculo ipso, disceptatum fuerit; postea compertus calculi error transactionem rescindit; quia ad caput pertinet haud controversum. Qui enim de aliis rationum uitiis litigant, non de calculi ueritate, de hac inter se consentiunt, neque de ista controversia transientes, calculi simul erroribus se subiiciunt.

§. XXVI.

CONTIN V A T I O N

Quod denique ad eas species attinet, in quibus, ex legum ratione, errorem transactioni nocere, tradunt juris interpretes, de his breuiter agendum uidetur.

I.) Falsam transactionis caussam ad retractandam litis compositionem, generatim saltem, non sufficere, supra ostendimus. (§. XVI.) Quae nostra sententia illo in primis adiuuatur Imperatorum Diocletiani et Maximiani Rescripto, quo sanctum est, ut cum quis, caussa alia deficiente, futurae tantum successionis spe allectus cum patruo suo transegerit, postea uero, aliis huic succendentibus, spe sua excederit, idcirco transactione finita lis restaurari non debeat *).

*) 1. 25. Cod. de transact.

Sin

Sin autem quaedam cogitari possint species, in quibus falsam obcaussam uitiatur transactionio; tum ex iis, quae supra (§. XVI.) posuimus, tum ex legibus ipsis de litis cauſa deficiente, litis timore, falsis instrumentis atque calculi errore praecipientibus certum exploratumque esse uidetur, per falsam cauſam tunc demum irritam fieri posse transactionem, si cauſa ista neque in mente renta, neque eius sit generis, ut de eius ueritate non dissenserint litigatores, sed potius inter se consenserint.

Hoc autem posito, istam adeo Doctorum opinionem, quatenus recte afferatur, principio nostro non obſistere patet.

II.) Neque altera exceptio, qua nimurum docetur, errore circa subiectum irritam fieri controuersiae compositionem, canoni nostro repugnat.

Firmari potius eo posse uidetur, cum hic iterum errorem habeamus, qui ad caput haud controuersum pertineat. Quanquam enim dici nequeat, de hoc ipso, quisnam alter sit? consensisse transigentes; nisi Caius, qui pro Titio habetur, sibi ipsis sit ignotus; illud tam certum est, quam quod certissimum, de statu uel conditione Titii neque dubitasse, neque litigasse transigentes, sed potius, sibi plane eandem esse sententiam, arbitratos fuisse.

Sin autem Caius personam Titii simulasset; dolum commisisset, ideoque non ex errore, sed ex alia cauſa, transaction inualida esset.

III.) Recte a iuris interpretibus traditur, transactionem de initam, quae non est, cum tamen, eam esse, pacientes putarent, omni ui atque effectu carere. Neque ex longinquo requirienda est cauſa, cui haec sententia innitatur. Etenim error iste manifesto ad caput haud controuersum pertinet; cum de rei existentia nullum inter transigentes extitisse dissensum, omni asseveratione affirmari possit.

E con-

E contrario si nobis speciem fingeremus, in qua de ipsa rei existentia litigatum, atque hac de lite transactum fuisset; ipse error de existentia rei, tanti habendus non esset, ut ad resuscitandam controuersiam sufficeret. Haec quoque ualent de altera specie, cum litigantes suum putarent, quod tamen alienum erat.

Tertia autem species, cuius supra (§. XVIII.) mentionem fecimus, ad eam, quae nobis discutienda est, quæstionem non pertinere uidetur. Dum enim de diuersis rebus cogitant pacientes, plane nihil agunt, in idem placitum non conueniunt. Transactionem itaque ne perfecere quidem, etiamsi hoc omnino uoluerint, atque, factum esse, crediderint. Transactione autem deficiente, de rescissione eius quaeri non potest.

III.) Si extrema, quæ uidebatur uoluntas, posteriori testamento rupta, neque tamen hoc iis, qui de priori testamento transiebant, notum fuerit, cum Wernhero quidem transactionem pro irrita habemus; uerum alia ex ratione.

Secundum nostram enim sententiam talis error hac solummodo ex causa litis compositionem labefactare potest, quoniam ad caput non controuersum pertinet. Nam de eo tantum, num illæ testamenti tabulae iure sint conditae, disputatum fuit. Hoc autem inter litigantes conueniebat, aliud et posterius testamentum, quo prioris auctoritas ademta sit, minime esse factum. E contrario transactionis uim non negarem, si controuersia ad id ipsum, sitne ultima uoluntas posteriori testamento reuocata an non? spectauerit, hacque lite, transactione demum finita, de posterioris testamenti tabulis plane constiterit. In hac enim specie error ad causæ momentum controuersum omnino pertineret.

Neque communis istius, et in foro obtinentis opinionis, ex qua nimur de controuersiis ex testamento, haud inspectis tabulis,

lis, transigi nequit, ratio est habenda, cum, illam doctrinam ex erronea legis 6. Dig. de transact. interpretatione ortum traxisse, a pluribus iurisprudentiae ornamentis satis superque sit demonstratum *).

§. XXVII.

ALIORVM PRINCIPIA EXPENDVNTR.

Restat, ut aliorum, in primisque Gundlingii, Hellfeldii, Zollerii, atque Abelii, uirorum doctrina atque auctoritate maxime conspicuorum, dogmata proponamus, ingenuaque, quid de iis sentiamus, profiteamur.

I.) Gundlingius **) distinguendum existimat inter errorem ipsam futurae transactionis naturam et essentiam adtingentem initio, et non attingentem. Prior ex eius sententia instabilem reddit transactionem, immo nullam; posterior non item. Errorem prioris generis assumit, si uel ex falsis instrumentis, uel post rem iudicatam, inita sit transactio.

Si enim, Gundlingius inquit, documentorum falsitas ansam dedit, ut quis festinaret ad componendam litem, quae nunquam erat, eoque componi non poterat, adest error antecedens, in quem nemo consentit propter naturam transactionis nec consentire potest; eoque relinquitur, ut error de incerto ac controversioso uitiet totam transactionis compaginem.

Idem ualere docet illustris uir, quando in praesenti lis per iudicatum uel iusuirandum decisa sit. Eo namque casu, pergit; penitus deest transactionis obiectum seu materia. Quid enim decidendum restat? Quis decidit decisionem? quis finit finitum? quis disputat, ubi nulla disputandi materia? Attamen aliter rem sese habere statuit, si forte ante plures

*) I. A. Bachii disputat de iure transactionis super controversiis ex testamento, non cognitis tabulis. (In Elusd. Opusc. n. III.) §. 3. sqq.

**) Gundling. singula de transactionum stabilitate et instabilitate capita. §. 7. sqq.

*res annos litis materia iudiciali decreto sublata, neque tamen in praesenti
controversiae metus vanus sit, quia latentibus iudicatis, re uera lis coe-
pit, aut saltem, initium capere illico atque iure potuit.*

Errorem posterioris generis, nimurum transactionis naturam in-
itio non attingentem illustrat exemplo tam nouiter repertorum in-
strumentorum, quam Tatiani illius, qui se heredem Archimediori
putans, cum huius creditoribus transagit^{*)}). In utraque hac specie
efficax error haud subesse Gundlingio uisus est. Non ignorantia
instrumenti postea reperti. Quanquam enim hoc tantum nunc fun-
deret luminis, ut tota controversia in inane recasura fuisset, si inspiciendi
(eiusdem) copiam habuissent litigantes, puta, si iam olim extinctum de-
bitum; tamen transactio ualeret; propterea, quod tum, cum transigeretur,
iuslitis litigii metus haud defecit, atque uera non falsa fuit causa finiendo
praesentem controversiam.

Non error Tatiani. *Etsi enim hic in errore fuit, Archimedori be-
redem se exsilimans, non tamen indebito petierunt creditores suum, neque
Tatianus, quum se putaret heredem, indebito soluit. Iuat igitur res dubia,
fuit lis; nullum hic falsum instrumentum cernitur. Vnde nec Tatianus
repetendi fundamentum stricto iure habet.*

Si Gundlingii, cuius ipsa uerbá describere necessarium duxi-
mus, recte perspicimus mentem; hic acutissimus vir illum modo
errorem, quo res haud dubia, dubitationi obnoxia putatur, trans-
actioni censet exitialem. Quae sententia, aliis uerbis ita exprimi
poterat: Error in transigendo commissus nihil nocet, nisi, quae
ad ueram transactionis indolem necessario pertinet, res dubia
plane defuerit. Vera itaque causa, cur talis compositio litis irrita-
vit, non in errore, sed potius in defectu dubiae rei, sine qua
trans-

^{*)} in leg. 23. Cod. de transact.

transactio esse non potest, latere, proindeque sequi uidetur, ut Gundlingius putarit, errorem omnino transactioni nunquam obesse.

Verum enim uero hoc neque ex transactionis natura neque ex legum Romanorum praescripto potest concedi. Quis enim affirmaret, graui illo errore, quo transigentes rem, quae non est, esse opinantur, non rescindi transactionem, nisi controuersia rem uere dubiam contineat. Quod autem ad rem dubiam attinet, in iure nostro nihil amplius postulatur, quam ut res disceptantibus dubia uideatur. Id quod eae in primis species, ubi, causa oblicationis plane deficiente, ob solum litis timorem transactione inita sit, abunde demonstrant. Neque aliter fieri potest, nisi hoc soli pliendarum litium remedium in fontem controuersiarum uberrimum mutari uelimus. Et Gundlingius ipse haec ut uera agnouisse uidetur, cum defectum instrumentorum, quibus omnis dubitatio eximi poterat, et ignorantiam judicati, quo controuersia dudum decisa erat, rem dubiam reddere doceat. Nam in his quoque speciebus res non est vere dubia sed tantum uidetur. Et in casu Tatiani non satis patet, num res uere dubia adfuerit necne, cum de causa litis Tatianum inter et Archemidori creditores, in lege excitata ne uoculam quidem legamus.

Contraria ex parte, si iam sufficit, rem quandam haberi dubiam a litigantibus; ex principio Gundlingii perspici uix potest, cur ista transactio non ualeat, quae suadentibus falsis tabulis ineatur, cum tamen tunc temporis, quo documentum falsum pro fide digno habitum fuit, res transigentibus uisa sit dubia, neque uanus futurae litis extiterit metus.

Sed quid multa? cum ipse Gundlingius in recentiori scripto, divisionibus erroris in uincibilem et non uincibilem, efficacem et

G

haud

haud efficacem, concomitantem et subsequentem, essentialiem et accidentalem, difficilem de errore doctrinam non satis accurate exponi posse, fateatur *).

§. XXVIII.

CONTINVATIO.

II.) *Helfeldius* **) in primis multum operae in id contulit, ut difficulti huic atque obscurae materiei lucem assunderet. Variis praesertim distinctionibus rem confici posse, arbitratus est.

Proferamus ipsa eiusdem uerba, ita tamen, ut uerbosam orationem in compendium redigere, nobis liceat. Primum itaque disquiri oportere, *Helfeldius* docet, num uterque transigentium an unus eorum tantum errat? Si uterque pacientium in errore uersatur, porro dispiciendum esse, num intuitu rei ipsius, scilicet obiecti transactionis, seu eorum, quae negotii essentiam constituant, sepe exserat error uel non? In priori casu, si nimirum in re ***), de qua transigitur, aut in iis, quae transactionis essentiam ingrediuntur, uterque transigentium errat, nulla est transactio. In posteriori autem casu, i. e. si error utriusque neque obiectum neque essentiam transactionis ingreditur, subsistit transactio.

Porro, si unus pacientium (absque alterius dolo) errat; distinguendum est, num hic error circa rei existentiam commissus sit nes ne? Transactio ex errore inita de re, quae talis saltet, qualis est in transigentium intentione, non existit, ualore destituitur.

Si uero error unius ad rei existentiam non pertinet, rursus distinguendum erit, num error uitari potuerit ac debuerit an non? In priori casu error merito nocet erranti; est enim voluntarius. Et voluntarie errans in errorem per indirectum consentit. Transigentes nolunt ueritatem, quam per iudicis

*.) Gundlingianor. P. 33. n. 1. Schuuebre Lehre von dem Irrthum in der Rechtsgelehrtheit. §. 18. et 20.

**) in dist. supra iam excit. §. 8. sqq. Idem in iurisprud. for. §. 348. *Helfeldio suffragatur Leber, Aug. Renthé in libello: Versuch einer systemat. Erläuter. d. Lehre von d. Transactionen inscripto (Rost. u. Leipzig. 1789.)* §. 19.

***) siue in corpore, uti Paulus ait in 1. 21. §. 2: de act. emt. et uend.

dicis sententiam consequi poterant. Sed potius per arbitriam conuentio-
nem, quid pro uero haberri debeat, determinare, dubiam obligationem tollere
et nouam constituere cupiunt. In posteriori casu, quo nimirum error haud
potuit exitari, iterum distinguas oportet in iis, quae ad contractus essentiam
pertinent et in aliis (accidentalibus) commissum errorem. Ille uiciat con-
ventionem, cum error in substantialibus impedit consensum et erranti neque
dolus neque culpa possit imputari. Ob errorem uero circa minus essentialia
et quae non principaliter in intentione contrahentium fuerunt, pactum mini-
me corruit. Ceterum ad regulam iuris generalem prouocat, quod
nulla pactio ad non cogitata extendi debeat, quod tamen pree-
ptum in applicatione ad transactionis materiem uariis obnoxium esse
dubitacionibus, ipse non initiatur.

Vt nostrum nunc de hoc systemate Hellfeldiano subiungamus
sententiam, id neque transactionis indoli atque naturae neque iuris
Romani placitis consentaneum uidetur.

Primum disquisitio, num uterque transigentium an unus errau-
rit, parum lucis rei obscurae affert, quum, utroque errante, transactio
ualida et ob unius errorem, transactio inualida esse possit. Fac enim,
transigentes opinari, non extare tabulas, quibus id, quod in contro-
uersiam uenit, diiudicari queat, transactio propter hunc communem
errorem non rescinditur. Et quamuis alter litigatorum falsum pro
uero habuerit instrumentum, alter autem ad id plane non respe-
xerit, attamen transactio ex falsis instrumentis inita inutilis erit.

Deinde facillime perspicitur, neque illa distinctione, qua error
circa transactionis essentiam ab eo, qui ad accidentalia tantum atti-
net, segregatur, rem posse absolui. Ipsa potius transactionis indo-
les impedit, quo minus isti distinctioni, multum au~~toritatis~~ tribui
possit, cum, denuo hoc repetamus, qui sua uoluntate litem com-
ponunt, errorem quam ueritatem, damnum pati, quam in lite uersari
malint. Et grauem et leuem errorem aequalis igitur momenti esse,
patet. Quae sententia iure Rom. non parum adiuuatur. Omni-
no enim grauissimi momenti simulque talis est error, qualis ad negotii

naturam spectat, si quis alteri u. g. ex mutuo, obstrictum sese credit, licet quod debebatur, iamiam solutum sit. Attamen huius erroris ergo litem transactione finitam non restaurari, inter omnes constat.

Denique in litibus componendis parum interesse uidetur, num quis omni culpa vacuus a uero aberrauerit, an per imprudentiam lapsus sit. Transigentibus enim non id est consilii, ut res dubia atque incerta, accurata indagatione fiat certa, sed ut ipsorum uoluntate, iura et obligationes circa istam rem, de nouo quasi definiantur. Vnde factum est, ut Iuris Rom. autores culposum et non culposum errorem in transactione nil differre arbitrarentur. Ob instrumentum postea repertum transactionem rescindi, in uniuersum uetant, licet fieri possit, ut quis sine omni sua culpa, tabulas istas, quibus ius suum planum facere potuisset, penitus ignorauerit.

E contrario ex falsis instrumentis initam transactionem semper pro irrita habent, quamuis diligentiori contemplatione instrumenti, atque totius rei perscrutatione, corruptela litterarum cognosci potuisset.

§. XXVIII.

C O N T I N V A T I O .

Longissime ab opinione nostra recedit Zollerus *), qui ex legibus ipsis probasse sibi uidetur, errore transactionem, de regula saltem, rescindi, propterea, quod nulla conuentio sine consensu subsistere queat, l. 13. et 20. Cod. de transact. l. 1. §. 3. de pact. consensus autem errore impeditur l. 15. de iurisdict. Omnis enim, sic argumentari pergit, transactio, sicut quaelibet alia conuentio, continet in se tacitam illam conditionem, nisi adit error uel falsa causa, cum error et falsa causa resistant origini obligationis ex contractu et tollant consensum ab actu, et ob id inficiant quemcunque contractum, transactionem et conuentionem l. 42. Cod. de transact. l. 36. Dig. fam. ercisc. Merito igitur transactio corruit cum omnibus inde secutis, quotiescumque in ea detegitur error uel falsitas causae, ita ut nequeat transactio sustineri in uim pacti aut conuentionis.

Potif-

*) in diff. laud. §. 7. 9.

Potissimum sententiam suam confirmari opinatur Zollerius iam cit. leg. 36. fam. ercisc. in qua Iureconsultus diuisionem hereditatis inter heredem et illum, quem iste suum coheredem esse putauerat, sine iudice factam pro nulla declarat, addita hac ratione: non enim transactum inter eos intelligitur, cum ille coheredem esse putauerit.

Quum enim hac lege transactio, ob errorem heredis de falso coherede, pro nulla habita sit, uti quidem putat Zollerus, inde colligit, errorem iure meritoque inter caussas rescindendi transactionem referri. Ad id uero, quod suae opinioni ipsa transactionis indoles, cum fiat de re dubia, repugnare uidetur, sequentem in modum respondet: *Ille error, qui ad ipsius transactionis naturam requiritur, uersatur circa obiectum transactionis, scilicet circa res dubias, error uero, ob quem uitiatur transactio, deprehenditur circa consensum ipsum.* Ut autem controversiae, quae ex errore in transactione nasci solent, eo facilius dirimi possint, praestantissima eo perueniendi uia erit haec, ut regulam communem, quae ad casus obuenientes applicari queat, ex analogia iuris constituamus. Si nimis error uersatur circa consensum ipsum, qui efficit fundamentum transactionis, obstat ei omnino. Sin uersatur circa obiectum, sub cuius nomine res dubiae ueniunt, non obstat error transactioni. Exemplo res melius illustrabitur. Transig cum Titio, qui ex debito mille thalerorum me conuenerat, de soluendis ei quingentis; appareat autem postea, me Titio numquam plus debuisse, quam quingentos; et tunc transactione rescindi potest, quia error uersatur circa consensum ipsum. Quum enim in quingentos thaleros consentiebam, me in minorem summam consentire putabam, quam quae a Titio peti poterat. Postquam mibi immotuerit, integrum et uerum debitum summam quingentorum non excedere, facile constat, errorem hoc loco circa consensum ipsum uersari; cum bac ratione non de minore, quam debueram, summa, uti quidem putabam transactum, sed ipsum totum debitum ex errore, deletum fuisset; adeoque nulla eiusmodi est transactio, quia id quod erat certum et de iure poterat exigi. Hactenus Zollerus.

Quod ad ipsam eiusdem sententiam attinet, superfluum uidetur, ea hic iterum repetere, quibus supra iam ostendere studebamus, transactionem, regulariter saltem, errore inutilem non fieri.

Ista



Ista autem erroris diuisio, cuius ope *Zollerus* quascunque, quae ex errore in transactione nasci solent, dirimi posse controversias, si bi persuasit, neque ad hoc efficiendum satis apta, neque iuri Romano consentanea uidetur.

Primum illa distinctione in se spectata iam minus idonea uidetur. Praetermittamus quidem hoc, errorem circa consensum, si propria uerborum significatione uti uelimus, tunc committi, cum quis putetur consentire, qui re uera dissentit. Tribuamus potius uerbis eundem, quem *Zollerus* tribuit, sensum.

Error igitur circa obiectum ipsi est, qui ad res dubias, de quibus transfigitur, spectat. Errorem autem circa consensum uocat, quo transactionis fundamentum continetur.

Verum enim nero idem error ad utrumque genus iure potest referri. Fingamus e. g. litigari de rei dominio, dubiamque esse causam ob defectum tabularum, quibus actoris ius planum fieri possit. Ponamus actorem quidem tabulas post transactionem interpositam repertas, ante eam, adhibita diligentia consequi potuisse, sed, quia, uel istas non amplius extare, uel difficillime repertum iri, putabat, transfigere decreuisse, et talem videmus errorem, qualis circa obiectum ac consensum simul uersatur. Quod enim actor non sperabat, fore, ut res obscura atque dubia clara certaque reddi possit, errauit circa ipsam rem dubiam; et quod ab eo iure sponte discessit, a quo documentis munitus discessurus non fuisset, errauit quoque circa consensum. Hic itaque error, ex distinctione Zolleriana, tum rescindat transactionem, tum non rescindat, necesse est. Praeterea quisque intelligit, errorem circa consensum absque obiecto cogitari non posse, omnemque adeo errorem, quo ut quis transfigeret, effectum est, simul esse errorem circa obiectum. Priusquam enim, ut quis consentiat, errore possit effici, error iam adesse debet. Si autem adest error, sine obiecto esse nequit. Et nil contra nos, si quis obloquitur, circa subiectum quoque falli nos posse. Licet enim

in



in strictiori significatione, *res* tantum circa quam quis fallitur, *objecrum* erroris nominetur; in latiori tamen sensu omne id, circa quod erratur, *objecrum* erroris iure vocari potest.

Deinde Zollerij distinctio ipsi juris Rom. formulae, cuius eam firmare uoluit auctoritate, haud consentanea, immo contraria esse uidetur. Etenim errorem circa *objecrum* non semper esse innoxium, errorem circa consensum non semper nocere transactioni, disertis legibus praescriptum esse scimus. Si u. g. litis *objecrum*, insciis transgentibus, eo tempore, quo litem composuerant, iam periiit, uel alienum fuit; hic error circa *objecrum* transactioni sane nocet. (§.IV.V.) E contrario si quis falso credit, sibi deesse tabulas, quarum ope de iure suo fidem iudici facere possit, atque ideo plus quam par erat, aduersario remittit; hoc errore, licet ad consensum spectet, transactio non infirmatur.

Reliquum est, ut de exemplo, quo Zollerus rem illustrare studuit, nostram proferamus sententiam; quam quidem ex iis, quae iam dicta sunt, conjectura quilibet assequi potest. Nimurum concedimus Zollerj, illum in errore circa consensum esse uersatum, qui, quum quingentis plus le debere putaret, ad soluendos quingentos transactionis vinculo se se obstrinxit. At nemo, puto, negabit, istum errorem simul esse eius generis, quod circa *objecrum* uersatur. Etenim de hoc ipso dissensere transigentes, quantum alter alteri debebet? Et circa hanc ipsam rem dubiam uel uterque uel unus errabat, cum putaret, plus deberi quam quingentos. Quapropter apparet, iterum adesse errorem circa *objecrum*, qui tamen, quatenus effecit, ut litigantes ad transigendum propensi fuerint, tanquam error circa consensum considerari potest. Neque tamen huiusce erroris causa, istam litis compositionem, ui sua priuari putem.

Ceterum nihil intererit, siue transactionem istam valere, siue irritam esse statuas. Qui enim quingentos soluit, etiamsi ipsi nunc innotuerit, integrum debitum summam quingentorum non excessisse, solutum condicere nequit, et, si condiceret, exceptione doli repellere.

retur. Nihil enim amplius, quam quod debuit, soluit. Et si iste, qui indebitum alias ex caussa transactionis soluit, solutum repetere nequit (§. VII.) multo minus ab hoc, qui ex transactione eandem dederit florenorum summam, quam ex alia caussa iam debuerat, ut sibi solutum restituatur, peti posse, iam per se intelligitur.

§. XXX.

CONTINVATIO.

Abelius^{*)} denique in pactis generatim inter errorem effientalem et non effientalem distinguendum, effientalem autem errorem esse docet, qui uel circa contractum, uel circa subiectum, uel circa obiectum committitur. Conuentionem, in qua pacientes uel circa ipsum contractum, uel circa subiectum in errore uersantur, pro nulla habet. Respe-
ctu erroris circa obiectum, iterum distinguit, an uel error sit commis-
sus circa rem ipsam, uel circa rem non existentem, dein sic pergit: ute-
que impedit consensum, siue error in re sit, cogitando de diuersis, siue pa-
ciendo de re, quae plane non existit. Propter accessoria uero conuentio
minime uitiat, quia cum de principali senei consensus rite declaratus est,
de accessorio etiam conuentum creditur ^{**)}.

Tum haec principia generalia ad pactum transactionis accommo-
dat, aiens: *Iam error a transigentibus commissus in re, de qua transfigi-
tur, aut in illis, quae transactionis effientiam constituant, transactionem
nullam efficit.* — — Praeter haec uix error cum effectu allegari poterit,
cum transigentium error plerumque sit voluntarius etc.

Distinctione inter errorem effientalem et non effientalem rem
absolui non posse, iam (§. XXVII.) generatim ostendimus. Nunc
itaque de quibusdam hac pertinentibus sigillatim agendum est,

Pri-

^{*)} Mich. Fried. Abelii diff. de rescind. transact. tam in genere quam in specie respectu laef. enormis. (Erlang. 1785.) S. II. §. 14.

^{**) I. 34. Dig. de contr. emt. uenit.}


Primum, si transfigeret de diuersis cogitauerunt rebus, ob hunc errorem transactio non tam rescindi, quam imperfecta esse uidetur, quod pacientes in idem placitum minime conuenierunt. Et quamvis Abelius recte tradat, errore circa rei existentiam commisso, transactionis impediri auctoritatem; ex hoc tamen colligi nequit, quolibet errore essentiali, litis compositionem irritam reddi atque inutilem. Aliae enim sunt erroris essentialis species, quibus transactio certe non confirmatur u. c. si quis forsitan, qui plane nihil debet, debere se creditat, uel tabulas ad probandam caussam aptas sibi non esse, quae tamen sint, putet. Fallitur itaque vir doctissimus, cum sententiam suam hoc modo illustret: *Sic si uterque transigentium rem putauerit esse dubiam, qualis reuera non est, corruit transactio, cum essentiam transactionis id ingrediatur, ut res dubia adsit.*

Si enim res dubia (§. I.) prorsus deficit, uidelicet cum lis per rem iudicatam iam finita nulloque modo ambigua sit, neque de hoc ipso, num indicatum sit, dubitari possit; tunc neutiquam propter errorem pacientium, sed, Abilio ipso fatente, propter hanc potius caussam, quod res dubia desit, transactio uirtute sua priuatur. Et si generatim omnis error, ex quo pro re dubia habetur, quae dubitationi non est obnoxia, litis rescinderet compositionem; neque tum, cum res nulla media sit, neque ob solum, eumque unum litis timorem, ualide transfigi posset; quod tamen iure fieri, inter omnes constat.

Deinde neque ea, quae de calculi errore legibus constituta sunt, Abelli sententiam confirmant. Hic quidem ut calculi errorem, essentialibus adiungere posset, de eo tantum computationis errore, sermonem fecit, qui transactioni ansam praebuit. Sed haec contra legum uerba aequa ac uim adiecta esse uidentur, Imperatoribus Diocletiano et Maximiano generatim affirmantibus: *errorem calculi ueritati non afferre praeiudicium, saepe constitutum esse* *). Si uero quilibet calculi error

*) 1. un. Cod. de errore calculi.

error transactionem infirmat, nisi de ipso hoc errore litigatum atque transactum sit; statim apparet, etiam errorem non essentialēm transactioni posse nocere. Quod autem certo fieret, si quis sat graib⁹ caussis, ut transfigeret, adductus, in ineunda hac litis compositione calculi errore non adeo magni momenti lapsus sit. Haec enim certe rescindi posset transactio, licet iste calculi error neque occasionem dederit transactioni neque tam grauis fuerit, ut propterea essentialibus annumerari possit erroribus.



Kd 1544


(X2258474)

Kd 1544

120



B.I.G.



COMMENTATIO
IURIS CIVILIS
DE
ERRORE IN TRANSACTIONIBVS
RECTE AESTIMANDO.

28

SCRIPSIT

MART. GUILIELM. GOETZ

IUR. DOCT. ET PROF. PUBL. ORD. ALTORE.



1397

NORIMBERGAE

apud ERNEST. CHRISTOPH. GRATTENAVER.

MDCCLXXXVII.

